



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||**

**Erasmus, Desiderius**

**Basileae, 1518**

**VD16 E 3644**

Ivlii Capitolini Pertinax Imp.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14277**

## PERTINAX IMP.



VBLIO Heluio Pertinaci, pater Libertinus Heluius Successus fuit, qui filio nomē & cōtinuatione lignaria negociationis, quod pertinaciter eam rem gereret, imposuisse fatetur. Natus est Pertinax in Appennino in uilla Martis. Equus pullus, ea hora, qua natus est, in tegulas ascendit, atq; ibi breuiter commoratus decidit, atq; expirauit. Hac re motus pater ad Chaldæum uenit. Qui cum illi futura ingentia prædixisset, stirpem se perdidisse dixit. Puer literis elementarijs & calculo imbutus, datus etiā Græco grāmatico, atq; inde Sulpitio Apollinari: post quem idem Pertinax grammaticen professus est. Sed cum in ea minus quæstus proficeret, per Lollianum Auitum consularem uirum, patris patronum, dicendi ordinis dignitatē petijt. Dein præfectus cohortis, in Syriam profectus. T. Aurelio imperatore à præside Syriæ, quod sine diplomatibus cursum usurpauerat, pedibus ab Antiochia ad legationem suā itere facere coactus est. Bello Parthico industria sua promeritus, in Britanniam translatus est ac retentus. Post in Mœsia rexit Alam, deinde alimentis diuidēdis in uia Aemilia procurauit. Inde classem Germanicam rexit. Mater eum usq; in Germaniam profecuta est, ibiq; obiit. Cuius etiā sepulchrum stare nunc dicitur. Inde ad ducentorum HS stipendium translatus in Daciā, suspectusque à Marco quorundam, à partibus remotus est: & postea per Claudium Pompeianum generum Marci, quasi adiutor eius futurus, uexillis regendis adscitus est. In quo munere approbatus, lectus est in senatū. Postea iterum re bene gesta, prodita est factio, quæ illi concinnata fuerat, Marcusq; imperator ut compēsaret iniuriam, prætorium eum fecit, & primæ legioni regendæ imposuit: statimq; Rhetias & Noricum ab hostibus uindicauit. Ex quo eminente industria, studio Marci imperatoris consul est designatus. Extat oratio apud Mariū Maximum, laudes eius continens, & omnia uel quæ fecit, uel quæ perpeffus est. Et præter illam orationem quam longum fuerit connectere, sapissime Pertinax à Marco, & in concione militari, & in senatu laudatus est: doluitque palam Marcus quod cum senator esset, præf. præf. fieri à se non posset. Cassiano motu composito, Syria ad Danubij tutelam profectus est, atq; inde Mœsiæ utriusq;, mox Daciæ regimen accepit. Bene gestis his prouincijs, Syriam meruit. Integre se usq; ad Syriæ regimen Pertinax tenuit. post excessum uero Marci, pecuniæ studuit, quare etiam dictis popularibus laceffitus, Curiam Romanam post quatuor prouincias consulares, quia consulatum absens gesserat, iam diues ingressus est, cum eam senator antea non uidisset. Iussus est præterea statim à Perhenne in Liguriam secedere



secedere in uillam paternam. Nam pater eius tabernam coctiliciam in Liguria exercuerat. Sed posteaquam in Liguriam uenit, multis agris coemptis, tabernam paternam manente forma priore, infinitis aedificijs circumdedit: fuitq; illic per triennium, & mercatus est per suos seruos. Occiso sane Perhenni, Commodus Pertinaci satisfecit, eumq; petijt per literas, ut ad Britanniam proficisceretur: profectusq; milites ab omni seditione deterruit, cum illi quencunq; imperatorem uellent habere & ipsum specialiter Pertinacem. Tunc Pertinax ma-  
 Specialiter.  
 leuolentiae notam subiijt, quod dictus est insimulasse apud Commodum affectati imperij Antistium Burrum, & Arrium Antoninum: & seditiones quidem contra ipse compefcuit in Britannia: uerum ingens periculum adit, seditione legionis penè occisus, certe inter occisos relictus. Quam quidem rem idem Pertinax acerrime uindicauit. Deniq; postea ueniam legationis petit, dicens sibi ob defensam disciplinam infestas esse legiones: accepto successore, alimentorum ei cura mandata est. Deinde proconsul Africae factus est. In quo proconsulatu, multas seditiones perpeffus dicitur, uaticinationibus earum quae de templo caelesti emergunt. Post hoc praef. urbi factus: in qua praefectura post Fuscianum hominem seuerum, Pertinax mitissimus & humanissimus fuit, & ipsi Commodi plurimum placuit, quia illi esset iterum, cum Pertinax factus est. Tunc Pertinax interficiendi Commodi conscientiam delatam sibi ab alijs non fugit. Commodus autem interempto, Laetus praef. praet. & Electus cubicularius ad eum uenerunt, ut eum confirmarent, atq; in castra duxerunt: Illic Pertinax milites allocutus est, Donatium promisit, ingeri sibi imperium a Laeto & Electo dixit. Fictum est autem quod morbo esset Commodus extinctus, quia & milites ne tentarentur, pertimescebant. Denique a paucis primum est Pertinax imperator appellatus. Factus est autem sexagenario maior imperator, prid. Kalen. Ianuarias. de castris nocte cum ad senatum uenisset, & cellam curiae iussisset aperiri, neq; inueniretur aditus, in templo Cōcordiae resedit. Et cum ad eum Claudius Pompeianus Germanici uenisset, casumq; Commodi lachrymasset, eum hortatus est Pertinax, ut imperium sumeret: sed ille recusauit, quia iam imperatorem Pertinacem uidebat. Statim ergo omnis magistratus cum cōsule ad Curiam uenerunt, ingressumq; Pertinacem nocte imperatorem appellauerunt. Ipse autem Pertinax post laudes suas a consulibus dictas, & post uituperationem Commodi acclamationibus senatus ostensam, egit gratias senatui, & praecipue Laeto praefecto praetorij, quo autore & Commodus interemptus, & ipse imperator est factus. Sed cum Laeto gratias egisset Pertinax, Falco consul dixit, Qualis imperator es futurus, hinc intelligimus, quod Laetum & Martianum ministros scelerum Commodi post te uidemus: Cui Pertinax respondit, Iuuenis es consul, nec parendi scis necessitatem. Paruerunt inuiti Commodi, sed ubi habuerunt facultatem, quid semper uoluerint, ostenderunt. Eadem die qua Augustus est appellatus, & Flauia Titiana uxor eius Augusta est appellata. His horis quibus ille in Capitolium uota soluebat, primus sanè omniū ea die, qua Augustus est appellatus, etiam patris patriae nomen recepit. Nec non simul etiā  
 x 2 imperium



Ius quartæ  
relationis.

imperium proconsulare, nec non ius quartæ relationis, quod omnino loco fuit Pertinaci. Ad palatium ergo Pertinax profectus, quod tunc uacuum erat, quia Commodus in Vectilianis occisus est: petenti signum prima die tribuno dedit, militi munus exprobrans utique in segnitiam temporum superiorum, quod quidem etiam ante in omnibus ducibus dederat. Exprobrationem autem istam milites non tulerunt, statimque de imperatore mutando cogitarunt. Ea die etiam ad conuiuium magistratus & proceres senatus rogauit: quam consuetudinem Commodus prætermiserat. Sanè cum postero Kalendarum die, statua Commodi deijceretur, gemuerunt milites, simul quia signum idem dederat imperator, timebatur autem militia sub senè imperatore, denique tertium nonarum diem notis ipsis. Milites Triarium Maternum Lasciuum senatorè nobilem ducere in castra uoluerunt, ut eum rebus Romanis imponeret: sed ille nudus fugit, atque ad Pertinacem in palatium uenit, & post ex urbe decessit. Timore sanè Pertinax coactus, omnia quæ Commodus militibus & ueteranis dederat, confirmauit. Suscipere se etiam imperium à senatu dixit, quod iam sponte inierat. Quæstionem maiestatis penitus tulit cum iureiurando. Reuocauit etiã eos, qui deportati fuerant crimine maiestatis, eorum memoria restituta qui occisi fuerant. Filium eius Pertinacem secutus Cæsarem appellauit. Sed Pertinax nec uxoris Augustæ appellationem recepit, & de filio dixit cum meruerit: & cum Commodus allectionibus innumeris prætorias miscuisset, senatusconsultum Pertinax fecit, iussitque eos qui præturas non gessissent, sed allectione accepissent, post eos esse qui uere prætores fuissent. Sed hinc quoque grande odium sibi multorum commouit.

Quæstio  
maiestatis.

Census retractari iussit: delatores uinctos grauius puniri iussit, & tamen mollis quæ priores imperatores: unicuique dignitati, si delationis crimine incurreret, poenam statuens. Legem sanè tulit, ut testamenta priora non prius essent irrita, quæ alia perfecta essent: neue ob hoc fiscus aliquando succederet. Ipsaque professus est nullius se aditurum hæreditatem, quæ aut adulatione alicuius delata esset, aut lite perplexa, ut legitimi hæredes & necessarii priuaretur. Addiditque senatus consulto hæc uerba. Sanctius est p. c. inopem remp. obtinere, quam ad diuitiarum

Sancta uox  
principis,

cumulum per discriminum atque dedecorum uestigia peruenire. Donatiua & congiaria quæ Commodus promiserat, soluit. Annonæ consultissime prouidit. Et cum tantam pecuniam ararij haberet, ut præter decies H-S non se inuenisse fateretur, coactus est ea exigere quæ Commodus indixerat, contra quam professus fuerat. Denique aggressus, cum Lollianus Getianus consularis, quod contra promissum faceret, necessitatis rationem accepit. Auctionem rerum Commodi habuit ita, ut & pueros & concubinas uendi iuberet, exceptis his qui per uim palatio uidebantur inserti. Et de his quos uendi iussit, multi postea reducti ad ministerium, oblectauerunt senem, qui per alios principes usque ad senatoriam dignitatem peruenerunt. Scurras turpissimorum nominum dedecora perferentes, proscripsit, ac uendidit. Cuius nundinationis pecuniam quæ ingens fuit, militibus donatiuum dedit. A libertis etiam ea exegit, quibus Comodo uedete ditati fuerant. Auctio sanè rerum Commodi in his insignior fuit. Vestis subtegmine sericeo aureis

Vestium genera  
nera.

aureis



aureis filis insignior, per tunicas penulasq; lacernas & chiroditas Dalmatarum & cirratas militares, purpureasq; chlamydes Græcanicas atq; castrenses & cuculli Bardaici. Et toga armâq; gladiatoria, gemmis aurâq; composita, & macheras Herculaneas, & torques gladiatorias, uasâq; eluto auro, ebore, argêto, citrôq; cōposita, atq; etiâ Phandouitroboli & materie eadē & uasa Samnitica, calfa etandæ resinæ ac picis idbellendis hominibus ac libiginandis. Nec non uehicula arte fabricæ noua perplexis, diuuisq; rotarū orbibus & exquisitis sedilibus, nunc ad solem declinandum, nunc ad spiritus opportunitatem per uertiginem, & alia iter metientia, orasq; monstrantia, & cætera uitij eius cōuenientia. Reddidit præterea dominis eos, qui se ex priuatis domibus in aulam contulerant. Conuiuium imperatorium ex immêso ad certum reuocauit modum: sumptus etiâ omnes Commodi reddidit. Exemplo autem imperatoris cum ille parcius se ageret, ex omnium continentia uilitas nata est. Nam imperatorium sumptum, pulsus non necessarijs, ad soliti dimidiū detraxit. Præmia militantibus posuit. Aes alienum quod primo imperij tempore cōtraxerat, soluit. Aerarium in suum statum restituit. Ad opera publica certum sumptum constituit. Reformandis suis pecuniam contulit: stipendia plurimis retro debita exoluit. Obuedis postremo cunctis muneribus fiscum parem fecit. Alimenta etiâ compendia quæ nouem annorum ex instituto Traiani debebantur, obdurata uerecundia sustulit. Auaritiæ suspitione priuatus non caruit, cum apud uada Sabatia oppressis scenore possessoribus, latius suos teneret fines. Deniq; ex uersu Luciuiano Grarius Mergus est appellatus. Multi autem eum etiâ in prouincijs quas consularis gessit, sordide se egisse in literas retulere. Nam uacationes & legationes militares dicitur uendidisse. Deniq; cum parentum minimum esset patrimonium, & nulla hæreditas obueneret, subito diues est factus. Omnibus sane possessiones suas reddidit, quibus Commodus ademerat, sed non sine pretio. Senatu legitimo semper interfuit, ac semper aliquid retulit. Ciuilem se saluantibus & interpellatibus semper exhibuit. Eos qui calumnijs appetiti per seruos fuerat, damnatis seruis delatoribus liberauit, in crucem sublati talibus seruis, aliquos etiâ mortuos uindicauit. Insidias parauit ei Falco, uolens imperare, de quo conquestus est in senatu, quod quidem senatus credidit. Dū sibi quidam seruus quasi Fauix esset filius, qui ex Ceionij Commodi familia Palatinâ domum ridicule uindicasset, cognitus, iussus est flagellis cæsus domino restitui. In cuius uindicta hi qui oderant Pertinacem, occasionem seditionis inuenisse dicuntur. Falconi tamen pepercit, & à senatu impunitatem eius petijt. Deniq; Falco in rebus suis securus uixit, & hærede filio periijt: quàmuis multi Falconem nescisse dixerint, imperium sibi parari. Alij etiâ seruis qui rationes interuertebant, falsis testimonijs appetitum eum esse dixerunt. Sed Pertinaci factio præparata est per Lætum præf. præf. & eos quos Pertinacis sanctimonia offenderat. Lætum enim poenituerat, quod imperatorem fecerat Pertinacem, idcirco quia eum uelut stultū intimatorē nonnullarū rerū reprehendebat. Graue præterea militibus uisum, quod in causa Falconis multos milites ad unius serui testi-

Opinor legē  
dum deuel-  
lendis.

Retro, pro  
ante.

Intimator.



Simonium occidi præceperat. Trecenti igitur de castris armati ad imperatorias  
 cædes, cuneo facto, milites uenere. Eadem tamen die immolante Pertinace, ne/  
 gatur in hostia cor repertum: & cum id uellet procurare, caput extorum nõ de/  
 prehendit. Et tunc quidem omnes milites in castris manebant, Qui cum de ca/  
 stris ad obsequium principis cõuenissent, & Pertinax eo die processionem, quã  
 ad Atheneum parauerat ut audiret poëtam, ob sacrificij prælagium distulisset,  
 hi qui ad obsequium uenerant, redire in castra cœperunt. Sed subito globus il/  
 le in palatium peruenit: neq; aut arceri potuit, aut imperatori nunciari. Enim/  
 uero tantum odium in Pertinacem omnium aulicorum fuit, ut ad facinus mili/  
 tes hortarentur. Superuenerunt Pertinaci cum ille aulicum famulitium ordina/  
 ret: ingressiq; porticus palatij usque ad locum qui appellatur Sicilia, & Iouis  
 cœnatio. Hoc cognito, Pertinax Lætum præf. prat. ad nos misit. Sed ille decli/  
 natis militibus per porticus egressus, adoperto capite, domum se contulit. Ve/  
 rum cum ad interiora prorumperent, Pertinax ad eos processit, eosq; longa &  
 graui oratione placuit. Sed cum Tausius quidam unus è Tungris in irã & in  
 timorem milites loquendo adduxisset, hastã in pectus Pertinacis obiecit. Tunc  
 ille precatus Iouem Vitorem, toga caput operuit, atq; à cæteris confossus est, &  
 Electus quidem confossis duobus, cum eodem perijt. Reliqui autem cubicula/  
 rij Palatini, nam suos statim, ut imperator factus est, filijs emancipatos dederat,  
 diffugerunt. Multi sanè dicunt etiam cubiculum milites irrupisse, atq; illic circa  
 lectum fugientem Pertinacem occidisse. Fuit autem senex uenerabilis, immissa  
 barba, reflexo capillo, habitudine corporis pinguiore, uentre prominulo, statu/  
 ra imperatoria, eloquentia mediocri, & magis blandus quàm benignus, nec un/  
 quàm creditus simplex. Et cum uerbis esset affabilis, re erat illiberalis ac propè  
 fordidus, ut dimidiatas lactucas & carduos in priuata uita conuiujs appone/  
 ret: & nisi quod missum esset edulium, quotquot essent amici, nouem libras car/  
 nis per tres missus ponebat. Si autem plus aliquid missum esset, etiam in ali/  
 um diem differebat, cum semper ad conuiuium multos uocaret. Imperator eti/  
 am si sine conuiujs esset, eadem consuetudine cœnabat. Amicis si quando de  
 prandio suo mittere uoluit, misit offulas binas, aut omasi partem, aliquando  
 lumbos gallinacios. Fastanum nunquàm priuato conuiuio comedit, aut alicui  
 misit. Cum sine amicis cœnaret, adhibebat uxorem suam & Valerianũ, ut cum  
 eodem qui docuerat, fabulas literatas haberet. Sanè nullum ex his quos Com/  
 modus rebus agendis imposuerat mutauit, expectans urbis natalem, quod eũ  
 diem, rerum principium uolebat esse: atque ideo etiam in balneis ei Commo/  
 diani ministri necem parasse dicuntur. Imperiũ & omnia imperialia sic horruit,  
 ut sibi semper ostenderet displicere. Deniq; non alium se quàm fuerat, uideri  
 uolebat. Fuit in curia honorificentissimus, ita, ut senatum fauentem adoraret, &  
 quasi præfectus urbi cum omnibus sermonem participaret. Voluit etiam im/  
 perium deponere, atque ad priuatam uitam redire. Filios suos in palatio nutri/  
 ri uoluit. Tam parcus autem & tã lucri cupidus fuit, ut apud uada Sabatia mer/  
 taturas exercuerit imperator per homines suos, non aliter quàm priuatus sole/  
 bat, neq;

Capitulum  
Iouis

Als fcos.

Cardui in ci  
bis.

Participare.



bat. Nec multum tamen amatus est. Si quidem omnes qui libere fabulas confe-  
 rebant, male Pertinacem loquebantur, Chrestologum eum appellantes, qui be-  
 ne loqueretur, & male faceret. Nam & ciues sui qui ad eum confluerant iam Χρηστολογος.  
 imperatorem, & nihil de eo meruerant, sic eum appellabant. Munera quoque  
 lucri libidine libenter accepit. Reliquit filium & filiam superstites. Habuit uxo-  
 rem Flauij Sulpitiani filiam, quem præf. urbi loco suo fecerat. Circa uxoris pu-  
 dicitiam minus curiosus fuit, cum palàm citharædum illa diligeret. Ipse præte-  
 rea Cornificiam infamissime dicitur dilexisse. Libertos aulicos uehementissi-  
 me compressit: unde grande quoque odium contraxit. Signa interitus hæc fu-  
 erunt. Ipse ante triduum quàm occideretur, in piscina sibi uisus est uidere homi-  
 nem eum cum gladio infestantem. Et ea die qua occisus est, negabant in oculis  
 suis pupillas cum imaginibus, quas reddunt spectantibus uisas. Et cum apud  
 Lares sacrificaret, carbones uiuacissimi extincti sunt, cum inflammari soleant. Et  
 ut supra dictum est, cor & caput in hostijs non est repperitum. Stellæ etiam iuxta  
 solem per diem uisæ sunt clarissimæ ante dies quàm obiret. Et ipse omen de Iu-  
 liano successore dedisse dicitur. Nam cum ei Didius Iulianus fratris filium obtu-  
 lisset, cui desponderat filiam suam, adhortatus iuuenem ad patruï obseruatio-  
 nem, adiecit, Obserua Collegam & successorē meum: Nam ante Iulianus ei &  
 in consulatu collega fuerat, & in proconsulatu successerat. Milites eum & aulici  
 odio habuerunt. Populus mortem eius indignissime tulit, quia uidebat omnia  
 per eum antiquata posse restitui. Caput eius conto fixum, milites qui eum occi-  
 derant, per urbem in castra pertulerunt. Reliquiæ eius recuperato capite, in se-  
 pulchro aui uxoris locatæ sunt. Et Iulianus successor illius, corpus eius quanto  
 potuit honore, funeratus est, cum id in palatio repperisset: qui nūquàm eius ul-  
 lam mentionem, uel apud populum, uel apud senatum publice fecit: sed cum  
 ipse quoque à militibus desertus iam esset, per senatum & populum Pertinax  
 in deos relatus est. Sub Seuero autem imperatore cum senatus ingens testimo-  
 nium habuisset Pertinax, funus imaginarium ei & censorium ductum est, & ab  
 ipso Seuero funebri laudatiōe honoratus est. Ipse autem Seuerus amore boni  
 principis à senatu Pertinacis nomen accepit. Filius Pertinacis Peciri Flamen est  
 factus, Martiani sodalis, qui diui Marci sacra curabāt, Heluiiani sunt dicti pro-  
 pter Heluium Pertinacem. Circenses & imperij natalis additi, qui à Seuero  
 postea sublati sunt, & geniti aliqui manent. Natus autem Calen. Augustis,  
 Vero & Bibulo COSS. Interfectus est v̄ Calen. April. Falcone & Claro  
 COSS. Vixit annis LX. mensibus VII. diebus XXVI. Imperauit mensibus  
 II. diebus XXV. Congiarium dedit populo denarios centenos. Prætorianis  
 promisit duodena milia nummūm, sed dedit sena. Quod exercitibus promi-  
 sum est, datum non est, quia mors eum præuenit. Horruisse autem illum impe-  
 rium epistola docet, quæ uitæ illius à Mario Maximo apposita est, quam ego  
 inseri ob nimiam longitudinem nolui.